


enberg
iss.
d. 6
-1791



1928, K 944

(32.2) (6,17)
ACADEMIA R E C T O R M A C E M
R A C E M

ACADEMIAE WITTENBERGENSIS

GODOFREDVS AVGVSTVS
MEERHEIM

PHILOSOPHIAE DOCTOR POETICES PROFESSOR

PUBLICVS ORDINARIUS

O R A T I O N E M

S A M V E L E AVGVSTO KVNERTO
REINSDORFIENSI

S S. L I T T. C V L T O R E

C O N V I C T U S W O L F R A M S D O R F I A N I C A V S S A

F U T U R O M E R C V R I D I E

H. L. Q. CC

H A B E N D A M

C I V I B V S H V M A N I S S I M I S

S I G N I F I C A T

1786

RACEMATIO IN TACITO

ACADEMIE AIXX NELL'EGENSI
GODFREDAS VAGASIAS

Praeter rationes, iam commemoratas, modestiam Tiberii, Ernestius infitiatur, inde apparere, qua principis decus non affectarit iste, quod corpori uitrii affuerit, si corpus proprie capiatur. Illud omnium grauissimum, falsum deprehendi, a corpore Augusti non discessisse Tiberium, quippe qui fuerit Romae, senatum haberet, de honoribus, illi decernendis, egerit, quae cuncta e sequentibus pateant. Suprema denique de morte dici, in primis de funere, de quo hic etiam locus sit accipiens, Salmasium ad Solinum docuisse. Sed, Lipsium, de ipso corpore Augusti cogitantem, errasse, vir ad perpetuitatem insignis necdum mihi persuasit. Ipsa temporum ratio illi fauet. adhibetur enim tempus futurum in consultatione de iustis imperatori faciundis, praesens de corpore non deserendo, ac munere publico obeundo. Haud equidem ignoro, quid contra moneri possit, tempora saepe commutari. At, Tacitum in uerbis edicti negligentius uerfatum, historici in publicis monumentis diligentia me credere prohibet. Alia igitur, in posterum peragenda, ab iis, quae nunc suscipi debent, seiunguntur.

tur. de honoribus parentis, sicut accidit, postea consulendum, iam non abscedendum a corpore, idque unum e publicis muneribus usurpandum. Itaque nos de sententia non dimouet, quod, primo senatus die, dimissis aliis omnibus, honores, Augusto defuncto adiungendi, in deliberationem ceciderint. haec enim, facile largimur, deinde gesta, de eo quaeritur, quo modo se prius Tiberius instruxerit. Neque me munus offendit publicum, cuius rationem Lipsius, breuiter quidem, sed dilucide planeque reddidit. nam, postquam cuncta, sicut ait Tacitus (c. l.) Augustus nomine principis sub imperium accepit, omnis rei publicae splendor in eum cessit. Quicquid igitur illius tribuebatur dignitati, muneris potuit publici nomine affici. At uero sic nihil moderationis edictum prae se fert. imo uero multum. neque enim de suo, sed parentis, decore pri-
mum laborat omnium, ac, dimissis caeteris muneribus publicis, quibus potentatus fulciri firmius uidebatur, hoc agit, ut ad uitrici corpus adhaerescat, ab hoc nullo pacto dimouendus. Optime Tacitus uerbis sequentibus, *dabat famae, ut uocatus electusque potius ab re publica uideretur, quam per uxorium ambitum, et senili adoptione, irrepisse.* Omnis autem causa conclamata putatur, si falsi conuinccatur, Tiberium, quia Romae fuerit assiduus, ab ipso corpo-
re Augusti non decepsisse. At hoc illud est, quod in primis fuerat probandum. Potius Suetonii te-

stimonium, ac Dionis Cassii, corpus imperatoris iam Romam translatum, monstrant. Altero teste (c. 100) a Bouillis equester ordo suscepit corpus mortuum, urbique intulit, atque in uestibulo domus collocauit. Hic igitur Tiberius lugens sedit, neque ab exangui patre abscessit. Alter plenius, atque ad Tacitum in clariore luce collocandum accommodatus, rem gestam memoriae prodidit. τὸ σῶμα τὸ τοῦ Αὐγούστου ἐκ μὲν τῆς Νάλης οἱ περτοι καθ' ἔπασην πόλιν ἐκ διαδοχῆς ἐβάσασαν· πρὸς δὲ δὴ τῇ Ρώμῃ γενόμενον οἱ ιππέις παραλαβόντες, νυκτὸς ἐς τὸ ἀσυ εἰσεκόμισαν· τῇ δὲ υπεραιά βουλῇ ἐγένετο, καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Τίβεριῳ ὁδεῖα ἐδόθη, ὅτι τοῦ νεκροῦ, οὐκ ἐξὸν δὴ, ἡψατο, καὶ συμπαρέπεμψεν αὐτὸν· corpus Augusti, Nola elatum, singularum principes ciuitatum ordine gestarunt. Romam uero perductum equites suscep- runt, urbique noctu intulerunt. Postridie est senatus habitus, ac uenia deinde Tiberio data, quod mortuum praeter fas tetigerit comitatus (LVI.32) Dignus sane locus, quem paullisper excutiamus, praeferimus cum scriptores non parum inter se dissentiant. Nolae in morbum grauem Augustus implicatur, quo facto, si Suetonio fidem habemus, ab ipso fuit Principe Tiberius reuocatus, cui secreto sermone diu affuit (Aug. c. 98) Alii, cum Dione, Liuiam, dicunt, mariti deceßum occultasse, metuentem, ne quid rerum nouarum accideret, usque ad filii aduentum, qui uitricum non amplius super- stitem

stitem uiderit. Vtri sententiae suffragetur, Tacitus ambigit (Ann. I. 5.) neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum, apud urbem Nolam, an exanimem, repererit. Prior tamen opinio fidei propior uidetur, ad quam Velleius quoque accedit (II. 123.) Tiberius filius, festinanter reuocatus, ad patrem patriae expectato reuolauit maturius. Tum securum se Augustus praedicans, circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua, atque ipsius opera, nec quicquam de fine, si fata poscerent, recusans, subiectus primo conspectu alloquoque carissimi sibi spiritus, mox animam coelestem coelo reddidit. Semotis adulationibus, Velleio solemnibus, non est obscurum, Tiberium ab Augusto, uitam finiente, non affuisse. Post corpus, expers animae, sublatum, Romanum defertur, comite, quod Dio liquido commemorat, Tiberio, imo uero tangente. At hic intercedit uetus scriptor apud Suidam, uoce Αὐγούσος.
Αὐγούσου ἀποθανόντος, Τίβεριος καὶ Δέοῦσος προηγούντο τοῦ πένθους, τοῦ νεκροῦ παντελῶς μὴ ἀπτομενοι. οὐ γὰρ ἐξῆν τοῖς μοναρχοῦσιν. Augusto mortuo, Tiberius et Drusus praefuerunt funeri, mortuum omnino haud tangentes. neque enim licebat principibus. Sed haec religio non fuit semper seruata, exemplo Germanici (Ann. I. 62) qui primum extruendo tumulo cespitem posuit, notatus ideo a Tiberio, humanitati eius obtrectante. Vtunque est de tactu, in dubitationem uocari non potest, ab

ipso corpore Augusti priuignum se non mouisse, co-
mitatu suo illud Romam prosecutum. Tunc edicto
patres in curiam conuocat, nisi forte illud iam No-
la in urbem fuit missum, in quo, et quid facturus sit,
et quid iam sibi putet faciendum, exponit. Nunc
ad parentis uult corpus considere, in eaque pietate
muneris publici functionem unice ponere. Postea,
id quod postridie, quam corpus, luce priuatum, Ro-
mam fuit perductum, evenit, cum senatoribus com-
municare consilia uult, quibus si honoribus parentis
funus ornandum. Itaque facile damus, tam supre-
ma de morte, in primis de funere, dici, quam pri-
mo senatus die Tiberium nihil agi passum, nisi de
hisce supremis Augusti. Illud uenit in quaestione, *quid ante hanc consultationem ille, quo parentis*
de se merita cohonestaret, nauarit atque effecerit.
Relinquitur, ut parentis corpus non sit ad funeris
curam referendum, sed corporis ipsius, ab animo
seiuuncti, reliquias, a quibus dirimi charitas filii pro-
hibeat. Liceat, uelut in transcurso, ueram Tacito
lectionem ex ipso Tacito vindicare (Ann. I. 26)
Seditiosa militum concio ac turbulentia Druso, Ti-
berii patris literas recitanti, de postulatis eorum ex-
plendis, sic respondet, *mandata Clementi centurio-
ni, quae perferret.* Hic alii perferret, alii praefer-
ret, alii proferret, magis probant. Evidem nul-
lus dubito, quin perferret a Tacito sit profectum.
hoc ipsum enim uerbum scriptor prius de eodem
homi-

homine adhibuit, ubi nulla controvērsia lectione
mouetur (c. 23) caeteros latebrae texere, uno retento
Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis ha-
bebatur idoneus, ob promptum ingenium. Ingenio
excogitata suo si diceret, proferret alienum non fo-
ret. Sed affert mandata, sibique commissa, de qui-
bus perferre frequentatur. Difficilior, ac uariis
coniecturis tentatus locus (I. 35) Magno clamore
ueterani Germanicum etiam atque etiam orant, ut
fessis finem laboriosae militiae, neque inopem re-
quiem, concédat. Quid alii moliuntur audacius.
*fuere etiam, qui legatam a diuō Augusto pecuniam re-
poscerent, faustis in Germanicum omnibus, et, si uel-
let imperium, promptos ostentauere.* Quoniam codex
Mediceus *promptas* monstrat, hoc nonnulli cum le-
gionibus iungunt. Heinlius, quae est illius libido
quamuis mutationis occasionem captandi, *prompta*
substituens, de rebus promptis explicat. Prudenter
Ernestius nihil mutat, et, quod saepe Tacitus omit-
tit, *se promptos* subintelligit, quo facto, cum prae-
cedente *fuere, qui, cohaeret accommodatius.* Sed
alia dubitatio subnascitur, eaque maioris momenti.
*Quaerit enim ille, quid faustis in Germanicum omni-
bus cum flagitatione pecuniae, sibi legatae.* Deinde ne-
gat, *ostentauere* pendere posse a *fuere.* Sic igitur lo-
co uitioso medendum iudicat, *fuere, qui — reposce-
rent, et, faustis in Germanicum omnibus, si uellet im-
perium, promptos ostentarent.* Aut, mutata interpun-
ctione,

ditione, breuiores init rationes, fuere, qui — reposcerent. Et, faustis — ostentauere. Mihi quidem locus nulla uidetur medicina egere. milites enim flagitationi bona addunt omina, quo facilius a Germanico, quod uelint, impetrent, si, quanto amore ipsum complectantur, ex omnibus optimis intelligat, quibus prosequi ueteres solebant eos, quos saluos cuperent esse, pluribus id exemplis illustrante Brissonio. (de form. solemn. I. 151) Sed de his agemus in posterum

Nunc enim concilianda beniuolentia uestra, *Ciues, Kunerto,* commilitoni, diligentia modestiaque spectato, qui uersatur honeste in eo, ut Wolfra-masdorfi memoriam anniuersaria renouet oratione, ac beneficium, quo tot iuuenes ad spem patriae liberaliter aluntur, iustis laudibus extollat. Patriae uobis prius charitatem etiam atque etiam commendabit, Cicerone iudice, omnes omnium charitates complectentem. Bene profecto cum illa agetur, omnes si diligenter, quid quantumque eius expectacioni debeant, secum reputarint. Sed, quo plura temporibus nostris hoc de amore, et dicuntur, et scribuntur, eo magis hic mollitie atque ignauia languet. Quanto grauius sunt adolescentes praelertim cohortandi, ut mature ea sibi praesidia comparent, quibus patrium decus augeant, gloriamque manentem deportent, dulcedine natalis soli ducti, quae sui non sinit esse immemores. P.P. Domin. VI. post Trinit. CICICCLXXXVI

Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91

ULB Halle
003 922 553

3




sb.

WD/P







1928 K 944
333
(6,12)

ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
GODOFREDVS AVGVSTVS
MEERHEIM
PHILOSOPHIAE DOCTOR POETICES PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS
ORATIONEM
SAMVELE AVGVSTO KVNERTO
REINSDORFIENSI
SS. LITT. CVLTORE
CONVICTVS WOLFRAMSDORFIANI CAVSSA
F V T V R O M E R C V R I D I E
H. L. Q. CC
H A B E N D A M
C I V I B V S H V M A N I S S I M I S
S I G N I F I C A T
1786